



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolutiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Ars Notoria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10447

pus habens provinciam, id est, Episcopos, Suffraganeos; Archiepiscopus vero, qui illam, vel illos non habent, non potest nuncupari Metropolitanus, sed solum Archiepiscopus, facit c. 21. 1. dist. post initium, ubi aliter Archiepiscopum, aliter Metropolitanum nominat: facit c. factore, 6. q. 3. Gem. in c. sint. vers. glossa secunda, de offi. ordin. lib. 6.

Secundo, Archiepiscopus est Judex ordinarius Saffraganei, Gemin. in c. 1. de offi. vic. lib. 6.

Tertio, Archiepiscopus potest ponere edictum per totam provinciam, quando esset casus suæ jurisdictioni competens, idem in c. 1. notab. 1. de suppl. negl. pralat. l. 6. vide Marinum Frezzam in tract. sub feudis, ubi etiam potest habere, quot Episcopatus, & Archiepiscopatus habeat Rex Neapolis, in Regno Neapolitano, & quot summus Pontifex.

ASSISTENTES IN CAPELLA PAPÆ.

Assistentes Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi in Capella Romano Pontifici, quænam habeant privilegia, & exemptiones: vide Jul. III. Bull. 14. quæ incipit, Romanus pontifex, & audivi inter alia, quod possint testari causa mortis, usque ad summam duorum milium ducatorum.

ARS NOTORIA.

Ars notoria dicitur illa, qua omnia quasi fiunt nota, & fit qui-

busdam observantiis, orationibus, & aliis rebus prohibitis, & est superstitiosa, & prohibita, quia ea media putant quidam posse scire omnia, licet apparenter aliquando virtute dæmonum aliqui vili sint ea scire media hac arte, sed falso, Barthol. Sybil. spec. per. qq. 9. 13. c. 11. 3. dec.

Secundo, Artis notoriæ libri omnes sunt prohibiti per indicem impressum Romæ anno 1596. in litera N, incertorum auctorum libri prohibiti.

Æ T A S.

Primò, quæritur, quomodo probatur ætas? Respondetur primò, quod potest per librum Baptismi Ecclesiæ parochialis, qui bene conservatur in dicta parochia: secundo, ex testificatione patris cum juramento, sicut etiam filiatio probatur ex scriptura, & annotatione patris, Dec. in capit. cum causam, colum. 3. ver. quarto fallit, de probat. Caputaquens. decisio 314. 1. p. vide in ver. matrimonium, dub. 14: licet Speculator in tit. detest. §: 1. ver. generaliter, & Alex. conf. 190. columna secunda, notab. 14. lib. 6. dicant patrum non posse testificari super consanguinitate nepotis, Caputaqu. decisione 279 parte tertia, sed potest intelligi in præjudicium tertii, vel quando exciperetur, vel in re gravis momenti, idem Navarr. consilio octavo de temp. ord. ubi dicit sufficere filio credere parentibus de legitima ætate asserentibus.

Secun-